

## CONCIO III.

DIERUM FESTIVORUM PROFANATIO REPREHENDITUR.

Otiuntur alii et dormiunt. — II. Alii laborant in servilibus operibus. — III. Alii choreas agunt. — IV. Alii vacant computationibus. — V. Alii ludis et spectaculis vacant. — VI. Alii nundinantur et lucra quaerunt. — VII. Alii luxum vestium parant.

## THEMA.

*Si licet sabbato curare?* Luc. XIV.

Mira quaestio, auditores: *Si licet sabbato curare?* Quis enim dubitabit licere die festivo miseris opem ferre, cum hoc sit opus bonum? Et tamen quaerit Dominus, ipsa Dei sapientia: *Si licet sabbato curare?* Atque ut magis miremur, eandem quaestionem alibi (Luc. VI.) his proponit verbis: *Si licet sabbatis benefacere, an male? Animam salvam facere, an perdere?* Quis in hac propositione unquam dubius fuit? Mira ergo est haec quaestio, sed nequaquam inanis aut frustranea, etiam nostro saeculo. Quemadmodum enim Judaei tam perverso fuerunt iudicio, ut illicitum clamarent sanare aegrum in sabbato: ita et nostro saeculo mundus tam perversus est, ut vix concedat probis, bene ac pie vivere festivis in diebus; facile autem concedat impie ac perditae vivere. Unum templum cultui divino erexit Salomon in Jerusalem: in contrarium duos lucos erexit mox Jeroboam, et in eis duos aureos vitulos, unum in Bethel, alterum in Dan, ad avertendum a divino cultu et templo Jerosolymitano populum; actumque ut Hebraei abirent potius ad vitulos, etiam usque Dan (qui erat terminus Judaeae) quam ad templum Dei veri, III. Reg. XII. Simillima ratione erexit Christus templum, et in eo cultum divinum, festivis persolvendum diebus: in contrarium diabolus erigit non unum, sed complures lucos vitulosque aureos, choreas, commensationes, luxum, aleas, pugilum, spectacula, mercimonia, aliasque vanitates et illecebras peccatorum, fitque ut his potius quam divino cultui plerique omnes vacent. Dixit olim Deus Pharaoni per os Moysis et Aaronis: *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Contra Pharaon ait populo: *Ite ad opera vestra;* praecipitque operum praefectis, ut in operibus luti et paleis conquirendis Hebraeos occuparent. Similiter mandat Deus per prelatos et concionatores: *Die dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio die illa peragitur, nisi in hymnis, psalmis et canticis spiritualibus dies illa transigatur.* ut habetur, in c. jejunia, c. de consecr. dist. III. Diabolus contra mandat per praefectos suos: Festivis diebus nil aliud agendum, quam ut

somno indulgeatur et ventri, alacrius potetur et coenetur, ludatur, saltetur, insaniatur: *Ite ad opera vestra:* ad lutum, ad spurcicias, ad vanitates. Pro quam diversa imperia! Quam diversa sabbata! Et jam miretur aliquis interrogasse Christum: *Si licet sabbato benefacere?* Plerique enim non Christo, sed diabolo obsequuntur: plerique ad vitulos aureos non sine multo labore potius contendunt, quam ad templum Dei. Audiamus igitur responsa mundi.

I. Dicunt aliqui: Otiandum et dormiendum est festivis in diebus, saltem plus quam in aliis: deambulandum quoque: et exspatiandum, curru, equo, pedibus. Sed erratis boni viri; non ad finem istum instituta sunt festivitates. Quietem quidem admittunt seu cessationem a corporis laboribus, sed non otium, quo tempus frustra teratur, nec cessationem ab animae laboribus; quin potius eos requirunt, et propterea indulgent corpori quietem, ut animae eo ferventius vacetur. Audite D. Greg. Nazianz. orat. XLIV. *Periari, inquit, nostrum non est aliud, quam animae aliquid eorum aggerere, quae firma et stabilia sunt.* Fluxa et peritura bona quaerimus per hebdomadam: vero et solida bona quaerenda sunt in dominica, sex hebdomadae diebus aggerere possumus corpori, quae ipsi necessaria sunt: septimo die aggerendum animae, quod ipsi necessarium. Hujusmodi autem non est otium, quia, ut ait Ecclesiast. c. XXXIII. *Multam malitiam docuit otiositas.* Vultin scire negotia animae, diebus sacris peragenda? Ea vobis exponit doctor Angelicus D. Thom. opusc. VII. cum ait, fideles occupari debere primo, in sacrificiis, tum internis uti sunt devotio, oratio, gratiarum actio, compunctio, actus fidei, spei et charitatis; tum externis, quale est missae, non privatae solum (tametsi per hanc alioqui satisfacit Ecclesiae praeepto) sed publicae et cantatae auditio, necnon ad altare oblatio. Sic enim et Hebraei in sabbatis duplicabant iuge sacrificium, Num. XXVIII. secundo, in laetitia spirituali, qua in Domino gaudemus, recolentes ejus beneficia: tertio, in carnis et concupiscentiarum mortificatione. Haec enim sunt victimae nostrae, Deo mactandae et offerendae in solemnitatibus nostris; quo exhibeamus corpora nostra: *Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,* ad Rom. XII. quarto, in actibus misericordiae, juxta praeeptum apostoli ad Hebr. XIII. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur (placatur) Deus:* et Jac. II. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc saeculo:* quinto, in legendo et audiendo verbo Dei. Sic enim apud

Judaeos: *Voces prophetarum per omne sabbatum leguntur,* Act. XII. Haec sunt occupationes animae pro diebus festis: haec sunt sacrificia, quae requirit a nobis Deus. Verum non permittit Pharaon, (diabolus) ut in solitudine cordis, vel in templo Dei immolent Christiani: luto eos occupat, somno, otio, pigritia quibus tenaci luto retinet infixos. Et quemadmodum Pharaon in fine laborum flagella pro mercede dedit operariis: ita etiam diabolus flagellat tandem eos, qui tam sordido otio sacros terunt dies. Scribit Rodericus Toletan. p. IV. hist. Hisp. Joannem Castellae regem victoriosum, cum dominica die ante prandium equitationi vacaret, ab equo cespitante dejectum et obtritum occubuisse. Gottschalcus Holen. concionator religiosus, serm. L. part. hiem. refert se audisse a patribus Perusinis de homine indurato, qui dominicis et festis diebus, cum ad rem divinam pulsus daretur, solebat concenso equo ad campos exspatiari. Sed tandem aliquando equitanti occurrit diabolus, qui ex equo eum deiecit, ac dixit: *Quia noluisti missam audire in Dei templo, cum damnatis audies lamentationes in inferno.* Dejectus collum fregit, et vestigia cruoris sui lapidi, in quem ceciderat, impressa reliquit.

II. Dicunt alii: Laborandum est sacris etiam diebus, quo victum nobis paremus; sed quid praecipit Deus? Audite legislatorem, Exod. XX. *Non facies omne opus in sabbato, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum et advena, qui est intra portas tuas.* Nolo igitur dicas: Non ego, sed servus meus ligna caedit, terram colit, etc. quia: *Quod quis per alium facit per seipsum facere videtur,* I. ita autem ff. de amitten. tut. Cum Deus aequae servi tui Dominus sit ac tuus, cur non ab eo quoque coli in festo debeat? Mandat Deus, Exod. XVI. *Videte, quod Dominus dederit vobis sabbatum, et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices* (ne cogentur exire die sabbati ad colligendum manna): *maneant unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Sed opponit sese Pharaon: laborare jubet, exire ad caedenda ligna, ad mercaturam, ad inferendam messem, ad piscandum et venandum: vel certe domi furtim et clanculum operari. *Sic dicit Pharaon: Non do vobis paleas: et ite colligite sic ubi invenire poteritis,* Exod. V. Vult Deus, ut: *Maneat unusquisque apud semetipsum,* hoc est, ad domi suae manens a laboribus vacet, quo liberius Deo vacare possit: contra vult diabolus, ut laboret homo, seipsum distrahat servilibus operibus, ne vacare et queat bonis et liberalibus. Et en (mira res) invenire est non paucos, qui potius operari diabolo, quam

vacare Deo velint. Sed quid mercedis tandem dabit daemon his operariis? Quod Pharaon dedit Hebraeis, verbera et flagella. Multis hoc ostendi potest. Eucherius, in vita S. Mauricii et soc. martyrum scribit, quemdam gentilem, quod dominica die domi laboraret, a Thebaeis martyribus verberatum fuisse, eoque terrore Christianum effectum. Notgerus etiam, in vita S. Remacli refert rusticum quemdam, primo rogationum die, cum deberet divino cultui vacare ex consuetudine Ecclesiarum Galliae, abiisse ad silvam, et ligna cecidisse in usum domus suae. Sed dum lignorum fascem humeris domum asportat, baculo innixus, tum ecce baculus adharet manui, ut nulla vi eripi queat. Concurrentibus vicinis fateatur suum peccatum; et baculus quidem truncatur supra et infra manum: capulus tamen manui haeret, donec ad aram S. Remacli reserata manu liberatur. Regimbaldus Ecclesiae Rhemensis divexator: « Dum quodam sabbato, inquit Flodoardus, lib. I. hist. Rhem. c. XX. colonus ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, praeciperetque presbytero, ne signa vespertinalia usque prope noctem pulsaret, operique implendo insisteret, accidit, ut percuteretur percussore invisio. Qui dum requireret, quis eum percussisset, omnesque se vidisse negarent, furis agitatus sensum amisit, graviterque vexatus, spiritum exhalavit. Denique, Thomas Cantipratensis, l. II. apum, c. XLIX. nobili cuidam Germano, venationis gratia die festos profananti ex uxore natam prolem canino capite, et auribus pendulis ad instar canis venatici. Causam monstri uxor venationi ejus adscripsit, recte et prudenter, indeque emendatus mores suos corripuit.

III. Dicunt alii: Saltandum est iis diebus. Sed quid de hoc ss. patres? S. Chrysostomus ait: *Festa in lascivia traducere, est propitiationem in reatumvertere:* S. Aug. I. de decem chordis inquit: *Melius faceret Judaeus in agro suo aliquid utile, quam in theatro otiosus existeret: et melius feminae eorum die sabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent.* Scimus Hebraeis vetitum fuisse longiorem in sabbato viam conficere, (Exod. XVI.) videlicet non ultra sexcentos, aut, ut alii volunt, quadringentos passus. At nonne qui choreas ducunt, longe plures faciunt passus et quidem periculosos? Nonne saepenumero magis fatigantur et sudant, quam si tota die laborassent manibus? Hebraeis vetitum erat colligere sabbato panem de caelo lapsum: et non erit illicitum legere porcorum siliquas, ab ore prodeuntes, festivis in diebus? Scimus Num. XV. Judaeum, qui in sabbato ligna com-



portarat, iussum a Deo lapidibus obrui: et nonne hoc idem faciunt, qui choreas ducunt? Nonne sibi conquirunt fomitem libidinis? Arma spiritualia paranda sunt diebus sacris e s. communionem, verbo Dei, pia lectione, etc. Sed non patitur hoc Pharaon: paleas colligi jubet ad conficienda opera luti: vel ad ignem lasciviae fovendum. Sed et hunc laborem non alia expectat merces, quam flagellum daemonis: « Puella quædam in Mechlinia Brabantiae oppido, inquit Thomas Cantipr. lib. II. apum, c. XXXV. ut ab eis, qui præsentem fuere, cognovi, sacro die dominico cum juvenibus diu choreas duxerat: fatigata ergo domum rediit, et dormitum pergens mox a dæmone obsidetur. Ea clamante surgit familia, ligant vinculis sævientem. Mane in Hanswich ad oratorium gloriose Virginis extra oppidum deportatur, ubi a puero duodecenni signo crucis dæmon fugatur. Idem, cap. XLVII. narrat tibicinem in Marchia, Flandriae villa, festo dedicat. cum cantu et saltu ad propria redeuntem, a fulmine extinctum. En mercedem Pharaonis.

IV. Alii dicunt: Vacandum est conviviis et compotationibus, indulgendum ebrietati. Festivi enim dies cum hilaritate celebrandi sunt. Sed videtur hac in re audiendus potius D. Hieron. qui in epist. ad Eustochium scribit: « Nobis sollicitius providendum est, ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus; quia valde absurdum est, nimia satietate velle honorare martyrem, quem scias Deo placuisse jejuniis. » Gaudium ergo spiritus, non carnis, esse debet celebritas festiva. Carni ubi nimis indultum fuerit, opprimetur spiritus, et desinet ejus gaudium. Sed nimirum ita jubet tartareus ille Pharaon, luto intemperantiæ inquinat manus hominum, ne sacrificare Deo possint; et lætitiæ spiritus convertit in lætitiæ carnis. Hinc bene Malach. II. tam impuræ solemnitates stercus, (ut habent Septuaginta) *ventriculus* appellantur: *Dispergam super vultum vestrum stercus (ventriculus solemnitate vestrarum)*. Ut enim ventriculus optimos ac delicatissimos cibos destruit atque in stercus convertit: ita mundus festivitates sacras perdit, atque in porcorum ferias, sordes et spurcicias mutat. Erat hujusmodi solemnitas illa Hebræorum, vituli adoratorum. Conflato enim vitulo clamavit Aaron ad populum: *Cras solemnitas Domini est*. Et quomodo celebrata est? *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, saltando, cantando, choreas agendo*, Exod. XXXII. Hæc nimirum solemnitas vitulantium hominum erat. Proclamamus et nos sacerdotes

ferias e cancellis; et quæ ratio observandi? Bibitur, comeditur, canitur, luditur, clamatur, vomitur, ingeritur, digeritur, egeritur, quin et litigatur, maledicatur, blasphematur. Antisthenes philosophus rogatus: *Quid est festum? Gulæ irritamentum*, inquit, *et luxuriæ occasio*. Maxim. serm. XXVII. Idem, respondere cogeret, si de festis nostris interrogaret.

V. Alii dicunt: Adeunda sphæristeria; pila, chartis, aleis animus recreandus; spectanda pugilum certamina, theatra frequentanda; spectacula visenda, vel certa de fenestra domi homines spectandi et quæ foris fiunt. Videmus enim plerosque ad profanas has recreationes statim se effundere, quamprimum res divina finit in templo. Non damnatur quidem honesta et moderata animi relaxatio in diebus sacris; sed si totus pene dies recreationi externæ detur, præsertim cum periculo peccati et neglectu rei divinæ, hoc reprehendendum est. Spica intus granum, foris aristam habet, quæ continet et tuetur granum: ita dies festi gaudium habent interius, grani instar solidum ac spirituale: habent et externam oblectationem velut aristas. Sed quid agit mundus? Festorum solemnitatem in externa jucunditate constituit, cum deberet constituere in interna. Illa accessoria et quasi subsidiaria, hæc principalis est: hæc nucleus, illa cortex est: mundis corticem arripit, nucleum vero negligit: totum pene diem corporis oblectationi dicat, spiritus oblectationi vix unam alteramve horam. Medium aliqui diem consumunt ad fenestram spectando, quæ geruntur foris: in suam conscientiam, vitæque suæ rationem vix semel oculos conjiciunt. Et quid ait S. Joannes, epist. II. *Videte vosmetipsos*, inquit, *ne perdatis, quæ operati estis*. Vosmetipsos, inquit, videte, non alios, quæ intra vos, non quæ extra vos. Sedent alii totum diem ad theatrales ludos, quodque gravius est, impuros, vel etiam humano sanguine cruentos, cujusmodi spectacula, sacris præsertim diebus prohibere plures imperatores, ut Leo imperator, anno Domini 469. Theodosius junior et alii. In Conc. Carth. c. LXXXIV. excommunicantur, qui solemnem Ecclesiæ conventu prætermisso vadunt ad spectacula.

VI. Alii dicunt: Lucrum parandum est solemnibus in diebus, quibus passim nundinæ celebrantur, fitque hominum concursus. Ibi aleis et conis pecuniæ lucranda. Hinc a finito sacro mox aperiuntur mercatorum officinæ: eriguntur mensæ lusoriæ, ubi omnis generis fraudes et injustitiæ committuntur. Conqueritur hac de re graviter S. Basil. in hexam. hom. VIII. « Si vos dimiseris, inquit, et concilium hoc dissolvero,

sunt qui protinus ad tesseras aleasque se conferent. Juramenta sunt illis contentionesque pergraves ac avaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, aurorem punctis ossibus illic ludentium insaniamque accendens. » Cujus rei exemplum scribit Thomas Cantipratensis, I. II. apum. c. XLIX. « Fuit in quadam villa Campaniæ, inquit, ubi Judæus cum Christiano sacra nocte paraceves tesserarum ludo consedit. Cumque Judæus multam pecuniam perderet, et ex hoc impatientius turbaretur, tandem in Christum retorquens injuriam, blasphemavit. Et mox cum ad jactandum hasardum tesseras collegisset, manus ejus cum tessera fit contracta. Qui reprobo furore succensus, cum ipsa manu contracta mensam lusoriam percutere niteretur, iterato in Christum, et matrem ejus blasphemiam turpissimam evomens, statim eversis terribiliter oculis cecidit et expiravit. Christianus vero collusor illius pavore nimio in amentiam versus elanguit, et vitam miseram dira morte finivit. » Parum recte etiam colunt festos dies, qui mercimoniis alioquin licitis intendunt, præsertim cum jactura rei divinæ vel contra loci consuetudinem. Accusat hos vel ipsum mare, juxta id Isa. XXIII. *Erubescet Sidon, ait mare*, hoc est, inquit D. Ambros. de Elia et jejuniis, c. XIX. « Meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse inquietior, et erubescet velut pudore, quoniam periculo non moveris. Verecundiores venti sunt, quam vestra cupiditates: illi habent otia sua: numquid vestra quærendi studia feriantur? Et cum otiosa tempestas est, nusquam otiosa sunt vestra navigia. » Ferias ergo suas habet, et observat mare, negotiatores nullas habent. Deinde, isti dies Deo dicatis trahunt ad suum commodum, sibi carnem præripiunt, Deo ossa dant, dum per unam horam in templo, toto reliquo tempore in sua officina sunt. Qui amicum suum vult ad prandium adhibere, debet epulas apparare ad amici gustum, non ad proprium. Qui vero in diebus Deo dicatis suum lucrum quærit, ad suum gustum attendit, non ad Dei gustum, qui pia opera desiderat. Hinc est, quod per Isaiam dicat, se nauseam concipere e talibus nostris festis: *Calendas vestras et solemnitates vestras odit anima mea: factæ sunt mihi molestæ* (Septuaginta vertunt *in satietatem*.) Isai. I. ubi et hoc notandum, quod non ait, solemnitates meas, sed *solemnitates vestras*; quia homines serviendo commodis suis, eas faciunt suas, suo gustui applicant, nauseam Deo creant.

VII. Alii dicunt: Corpus adornandum, festivo cultu incedendum. Potest hoc tolerari, si intra limites modestiæ fiat. Sed in hoc quoque excidunt multi, feminæ præsertim; quasi in externo

cultu Deo placendum sit. *Omnis gloria filiae regis (Dei) ab intus*, ait David. Cultus illis insolentior, abominatio est coram Deo. Audiamus D. Greg. Nazian. or. IV. in Julianum: « Festa, inquit, celebremus non corporis nitore, non vestitus mutatione ac munificentia, non commensationibus et ebrietatibus, quorum fructum cubilia et impudicitias esse didicistis, etc. sed animi puritate et mentis hilaritate, et lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est, divinis contemplationibus et cogitationibus, quæ super sanctum candelabrum excitentur, etc. » Hebræis inter alia prohibitum erat in sabbato excitare ignem et coquere; at qui luxu nimio corpus suum ornant, ut placeant hominibus, nonne in illorum animis libidinis ignem accendunt, vel saltem accendere possunt? Paratio est de choreis, commensationibus, colloquiis et conventibus impudicis. Iisdem Hebræis præcepit Jer. c. XXIX. *Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati*, q. d. quam chara est vobis anima vestra, tam sedulo cavete, ne portetis onera in sabbatis. Quale autem pondus, ornare et onerare se holoserico, auro et argento, inauribus et armillis, monilibus et gemmis, torquibus, et annulis ad spectaculum usque? Quale illud, constringere se vestibus ut gracile appareat corpus? Hissi addamus choreas, ebrietates, aleas, aliaque plurimorum exercitia, nonne fatendum erit gestari ab eis pondera? Atque hinc est, quod idem propheta lamentetur in suis Threnis, c. I. derideri a dæmonibus sabbata et festa nostra: *Viderunt eam hostes et deriserunt sabbata ejus*. Ad litteram quidem de Jerosolyma loquitur, mystice tamen ad nos respicit. Rident enim hæretici, Turcæ, Judæi festa Christianorum, dum ipsi tot vanitatibus, spurcitiis et impudiciis tam perverse ea celebrant. Rident etiam dæmones, et multo quidem maxime. Quomodo enim non rideant, cum vident sabbata nostra destinata esse quieti nostræ, et interim a nobis tot laboribus occupari? Quomodo non rideant, cum eos dies vident suo dari cultui, qui divino cultui dicati sunt? Nonne ridebit inimicus tuus, si viderit te segetes tuas inferre in ipsius horreum? Festorum dierum cultus, messis tua est, imo et Dei messis est: hanc tu tibi et Deo auferis, et diabolo transcribis. Quomodo non rideant dæmones, cum vident homines festis diebus, quibus se ab ipsorum laqueis liberare deberent, magis se implicare et novis laqueis induere? Audiamus D. Gregorium, I. V. mor. c. XXII. « Hostes, inquit, sabbata videntes irident, cum maligni spiritus ipsa vocationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque reproba anima, quo remotior ab externis actionibus



servire deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. » Denique, quomodo non rideant, cum vident nos per totam hebdomadam laborare aliis, nobis ipsis vero nec per unum quidem diem? Bonus ille Jacob cum per annos quatuordecim servisset socero suo Laban, tandem suis etiam rebus aliquando provisorius veniam discedendi petiit: *Tu nosti, inquit, quomodo servierim tibi, etc. justum est igitur, ut aliquando provideam domui meae*, Gen. XXX. Efficax argumentum, cui nec ethnicus Laban potuit contradicere. Dic igitur et tu Christiane, qui per totam fere hebdomadam mundo, mammonae, abdomini, servis, die in die festo: Satis aliis servi; justum est igitur ut aliquando provideam domui meae. His diebus tempori servi, nunc serviam aeternitati.

## CONCIO IV.

## AVARITIAE HYDROPSIS VITANDA.

I. Sectatur avarus res viles. — II. Frustra opes possidet. — III. Cruciatu suis opibus in toto fere corpore. — IV. Quo plus habet, eo plus cupit. — V. Sordidus est. — VI. Cum insatiabilis sit, Dei iram experitur. — VII. Turgidus est, nec caelum ingredi potest.

## THEMA.

*Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*  
Luc. XIV.

Quale genus hominum, designet hic hydropicus, vel Diogenes ille gentilis edicere nobis potest. Aiebat enim hic avaros similes esse hydropicis, quod illi argento pleni, hi autem referti aqua, amplius desiderant, quodque dolendum est, utrique in magnam sui perniciem, apud Stob. serm. X. Cui optime concordat D. Augustinus, serm. V. de verbis Domini: « Et habes, inquit, et concupiscis, et plenus es et sitis: morbus est, non opulentia: sunt homines in morbo, humore pleni sunt et semper sitiunt: humore pleni sunt et humorem sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem concupiscentiam? » Concordat et D. Greg. I. XIV. mor. c. VI. « Hydropicus, inquit, quo amplius biberit, amplius sitit: et omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea quae appetit, adeptus fuerit, ad appetenda amplius et amplius anhelat. » Quando igitur habemus quinam sint hydropici secundum animam, videamus accuratius morbi huius naturam et periculum.

I. Hydropicus aquam et quemvis obivum potum sitit ac bibit: ita etiam avarus res sectatur viles, terrae nimirum glebas rutilantiores, aurum et argentum. Utrumque gignitur in terrae

visceribus, ibique latet velut indignum humanis oculis. Nullam in se vim habet nutriendi corpus, nullam calefaciendi, neque nisi per accidens, eximendi ab ægritudinibus. Ad æternos sensus nihil plane confert, unde præteritur a pecoribus veluti inutile. Cito gravat latorem et possessorem suum quandoque etiam mergit nec sinit enatare. Solo hominum arbitrio factum est, ut pretio sit æstimabile. Unde D. Bern. serm. IV. in adventu ait: « Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam? » Et Thomas Morus, libro II. utopiæ: « Aurum argentumque, inquit, quis non videt, quam longe infra ferrum sunt? Ut sine quo non magis quam absque igni atque aqua vivere mortales queant, cum interim auro argentoque nullum usum, quo non facile careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset. » Quare sicut terram pedibus calcamus, non manibus contingimus, ita aurum et argentum, quia terræ partus sunt, calcanda et spernenda sunt. Parvuli dumtaxat reptare in terra manibus solent, quemadmodum et bestiae; parvulos ergo se demonstrant et insipientes, qui glebas illas amant. Hinc sicut infantes, qui rebus vilibus, uti puppis et nolis delectantur, involvuntur fasciis: ita divites, qui vili terra rubra et alba auro scilicet et argento delectantur, eoque se involvunt quasi, idcirco a Sophonia, c. I. appellantur *involuti argento*: *Disperierunt omnes involuti argento*. Huiusmodi fuit C. Caligula imp. pecuniæ avidissimus, quem inter immensos auri thesauros volutari solitum scribit Suetonius, in ejus vita, c. XLIII. Ridemus infantes quando puppas et imagines fictas veluti vivas tractant atque ornant stultos quoque asserimus gentiles, qui aureas vel argenteas statuas pro diis suis colunt; at quid aliud agunt avari, cum auri et argenti massas omnibus aliis rebus præferunt? Hinc non immerito apostolus ad Ephes. V. avaritiam appellabat *idolorum servitutem*. Idola apud Hebræos *elilim* vocantur, id est, vanitates et res nihili, quæ vanam et mendacem umbram divinitatis præseferunt, uti Levit. XIX. *Nolite converti ad idola*, Hebr. *elilim*, q. d. *deiculos*. Hoc igitur avari sibi dictum existiment: sciantque se stultissimos, deiculorum, pupparum et nugaram adoratores esse. Audiant Chrysostomum in I. Timoth. VI. « Candore, inquit, lucentis margaritæ attraheris? Cogita maris esse aquam et in ejus finibus ante jacuisse dejectam. Rapi animam auri fulgor et nitor argenti? Cogita terram ac cinerem ea prius fuisse et modo esse. Placet pretiosa et serica vestis? At vermium ille contextus est: opinio est et humana præsumptio;

nihil habet in se naturalis pulchritudinis. » Sane populi orientales, qui abundant auro et gemmis, valde mirantur nos tam eorum cupidos esse, cum ex sua natura ad nihil fere utilia sint. Nec defuerunt aliqui, qui repertum aurum defoderent, uti Babytacei, apud Solinum Polyhist. cap. XXX. ne polluti ejus usu, avaritia corrumpere æquitatem.

II. Hydropicus frustra bibit, quia potum male digerit, nec in sanguinem purum, sed in corruptum et aqueum humorem mutat. Pari modo avarus frustra conquiri et possidet pecunias, quia non impendit utiliter: corrumpit fere opes suas, dum perire eas mavult, quam cedere in usum egentium. Sic enim Ecclesiastes, cap. VI. de avaro qui non fruitur bonis suis ait: *De hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus; frustra enim venit et pergit ad tenebras, oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit solem, etc.* Similis quidem abortivo est avarus, quia uterque frustra et nulli hominum usui nascitur, cum neuter finem nativitatis acquirat: uterque frustra in hoc mundi theatrum venit quia abortivus statim moritur, avarus sic vivit quasi non vivat, utpote nec sibi utilis, nec aliis: uterque pergit ad tenebras et deletur oblivione; quia abortivus nihil omnino, avarus nihil memorabile aut memoria dignum gessit, ut qui nec reipublicæ, nec patriæ; nec sibi aliis boni aliquid præstitit: uterque non vidit solem, quia abortivus: si aliquando solem vidit, forte ad diem vidit et nesciit, quid videret; avarus cum mæstitia semper aspexit solem, adeoque nullam lucis huius percepit jucunditatem. Hinc forsitan a natura comparatum est, ut terra quæ auri et argenti venas habet, aliis in rebus sterilis et inculta sit: quia etiam avari, qui domi suæ aurum abscondunt, semperque in animo gerunt, et multiplicant, steriles in mundo sunt, nullumque liberalitatis, elemosynæ, magnificentiae, charitatis et honestatis fructum edunt.

III. Hydropicus cruciatur aqua intercute. Avarus quoque cruciatur a sua cupiditate et pecunia. Alioquin Ecclesiastes non appellasset eam *infirmi-tatem*; ait enim, cap. V. *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui, pereunt enim in afflictione pessima, etc.* Causam reddit Plutarch. initio I. de cupiditate divitiarum: « Si quis enim multa edens multaque bibens nunquam saturaretur, nonne putas eum ad medicum iturum et interrogaturum, quis hic morbus? Si quis autem multis prædiis, multo argento non expleretur, eum non putabis medico indigere? » Sane Achab rex cum petisset vineam Naboth, et non obtinisset: Pro-

*jiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem*, III. Reg. XXI. quasi æger non animo solum, sed et corpore esset. Fuit autem ægritudo illa, mera avaritia seu moror inde resultans, quod non posset frui desiderata vinea. Neque vero in uno dumtaxat membro avari cruciantur, sed in toto fere corpore. Laborant primo, ex capite, quoniam id curis et innumeris cogitationibus fatigant, vulnerant et cruciant, quomodo opes acquirant, augeant, conservent, expendant. Hinc dives quidam anxius secum ipse consultat: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos*, Luc. XII. De principe quodam accepisse se scribit Balthasar Chavasius s. i. in I. IV. de prud. c. III. quod cum improbis subditis suis magnum et longam creare vellet molestiam, divites eos faceret, quippe accepturos cum divitiis ingentem curarum sarcinam. Hanc ob causam Christus divitias appellavit spinas, Matth. XIII. Hebræi vero avaritiam appellant *vulnus*; idque capiti potissimum infligi asserit Amos, c. IX. cum ait: *Avaritia in capite omnium*, quia curis et anxietatibus caput maxime contundit. Secundo, laborant ex oculis, quia pauperum miserias videre et aspicere nolunt, sed cum sacerdote et levita illo prætereunt vulneratum, quin et via declinant (ut habet ibi vox Hebræa) ne miseriam ejus aspicere et succurrere cogantur. Ad hæc: *Oculos habet avarus* inquit S. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysostomi, ep. CCXXXIII. « Non ut naturæ consentaneum est, cernentes, aut quemquam verentes non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verum asperum quidquam et acre, atque crudele et inhumanum igneumque obtuentes. » Tertio, ex auribus: *Aures usque adeo septas*, inquit ibid. Isidorus, *et obturatas habet, ut nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat*: et D. Ambrosius, I. de Naboth, c. V. « Pauper inquit, te præsentem deplorat, et tibi avaritia aurem obstruit: nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur, et quia non audis, exclamat Ecclesiastes: Est clamor malus, etc. » Quarto, laborant ex faucibus; quia proprio ori deteriora quæque apponunt, meliora vero præscindunt: « Uti Chius ille vina optima vendebat aliis, ipse vappam potabat, sic qui omnia sua depravant, nec suis ipsorum bonis fruuntur. Huius servus interrogatus, quid ageret dominus: Cum adsint, inquit, bona, quærit mala, » ita Plut. in moral. Hinc bene Ecclesiastes infirmitatem avaritiæ sic descripsit: *Divitiæ conservatæ in malum domini sui*. Quinto, laborant ex corde, quia id in arca pecuniaria potius, quam in corpore suo habent: itaque au-